et miracula beati
...ta (Esaiae Poloni.
1873. I. 15.
...fii Nic. Lobü. 1610

4232.

t

VITA ET MIRACVLA
BEATI ESAIÆ POLONI
S. Theol: Doct: Ord: Eremit. S. Auguſtini.



EATVS Eſaias, natione Polonus, Confeſſor DEI dilectus, Anno à Partu Virginis 1380. Caſimiro Magno Regnum Poloniæ gubernante, nobilibus inprimis & Religionis Catholicæ amantiſsimis parentibus, Cracouiæ in platea arcenſi fæliciter eſt in hanc lucem editus. Patri fuiſſe nomen Floriano Bonero ferunt, Mater Broniſlavva Lanckorunska de Brzezie vocabatur, pietate, ardenti in DEVM charitate, cæteriſque virtutibus ornatiſsima, familia antiqua, ac de Repub. pace & bello, terra mariq́ue optimè merita, matrona clariſsima. Puerulus vbi ætatem commodiorem attigit, eam potiſsimùm, quæ ſtudia Artium liberalium requirit, parentum cura ſingulari, optimis eſt in Academia Cracouien. traditus præceptoribus, ipſe quoq́ue præclaro, & verè diuino à natura ornatus inſtructuſq́ue ingenio, ſatis alacriter ſe ad eam accinxit palæſtram. Breui ergò tempore eam ſibi Doctrinæ comparauit ſuppelle-

ctilem, vt beatam illam Encyclopœdiam, siue Orbem scientiarum assequutus videretur. Verumenimvero, tantus vir, diligenter & sæpe cogitabat, huius Mundi sapientiam omnem durabilem non esse, neque quidquam æternitatis in se continere, ac proinde etiam atque etiam dispiciebat, quonam potissimùm tramite: qua via incederet. Erat tunc temporis Casimiriæ ad Cracouiam Ordinis nostri Monasterium augustissimum, viris religiosissimis, integerrimis, eruditissimis frequentissimum, opinione synceræ sanctimoniæ apud omnes tam indigenas, quàm aduenas celeberrimum, vbi publicè in Gymnasijs omnes scientiæ, summo labore, summa diligentia, ab eisdem Patribus tanquam Athenis tractabantur. Quò cùm se ille contulisset, Tituloque Doctoratus diebus consequentibus maxima omnium acclamatione insignitus esset, & lectionibus omni genere eruditionis refertissimis, & publicis disputationibus subtilissimis admirationem, reuerentiam, amorem in mentibus omnium facilè sibi conciliabat. Fit sanè plerumque, vt literis ornatos homines parum decentibus cultos moribus videamus, cùm & scientiam inflare dicat sanctus Apostolus, & non ita multi sint, qui sublimiori altaque naturæ cognitione subnixi, inferiora, seque diligenter contemplentur. At non ita B. Esaias. Nam in primis, quantùm ad

Monasticen attinet, nihil illo in demisſione animi ſtudioſius, nihil in Oratione, ſiue Mentali, ſiue Vocali ardentius, nihil in reliquo præſtantiſsimarum virtutum curſu fœliciter conficiendo diligentius vnquam fuit. Idem Legum & Sanctionum Religionis obſeruantiſsimus, diſciplinæ Ordinis Eremitani cuſtos zeloſiſsimus, laborum patientiſſimus, in omni vitæ ſeriè adeò vigilans, ſedulus, & fœlix: vt illud Dauidicum meritò de illo dici poſſit & debeat: Erat tanquam lignum iuxta decurſus aquarum plantatum, quod fructum ſuum in tempore ſuo dabat ſemper, folium eius nullum vnquam defluxit, omnia in quibus operam ſuam collocabat, ceſſerunt fœliciſsimè. Nullibi ille in Oratione frequentior, ac ante imaginem MATRIS MISERICORDIAE, vbi non rarò cœleſti circumfuſus luce, in aërem ſubleuabatur, voce ſubmiſſa cantans: AVE REGINA CAELORVM. Sanè ætas illa florentiſsima qua vixit, plurimos viros ſanctitatis laude illuſtres & conſpicuos habuit, quorũ ille familiaritate quotidiana fruebatur. Erat enim

Beatus Staniſlaus Caſimiritanus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, in Monaſterio Cracouien. ibidem Caſimiriæ ad Eccleſiam Corporis Chriſti ſito, cuius ad DEVM precibus, plurimi iam mortales, in periculis & anguſtiis ſuis, certiſsima retulerunt adiumenta.

Beatus quoq́ue Ioannes Cantius S. Theolog. Doctor, ac eiuſdem in alma Cracouienſi Academia nobiliſsimus & clariſsimus Profeſſor, cuius ſanctimoniam tam cùm viueret, quàm poſt deceſſum infinita propè, ac verè admirabilia patrata teſtantur miracula. Præterquam enim, quòd plurimos ſiue aliqua vitæ infælicitate obrutos ſubleuauerit, mortuos viginti quatuor excitauit, priſtinæq́ue vitæ reddidit.

Tum Beatus Suentoſlaus Slaucouien. Eccleſiæ in foro B. MARIAE Virginis in hac vrbe Manſionarius piiſsimus, vltimarumq́ue voluntatū exequutor fideliſsimus, viſionibus diuinis inprimis clarus, qui perpetuum in vita coluit tenuitq́ue ſilentium.

Præterea B. Michaël nobilis Lituanus, Ordinis S. MARIAE de Metri, de pœnitentia SS. Martyrum ad S. Marcum, qui & quatuor mortuos ſuſcitauit, & alijs plurimis miraculis claret.

Poſtremò B. Simon Lipnicenſis Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, qui præter alia admiranda, quæ per eum diuina virtus operata eſt, decem mortuos reſuſcitauit.

Hi ſunt inquam viri miſericordiæ & pietatis, cum quibus Eſaias familiariter vixit, ætatem ſanè beatam, & luminum cæleſtium feracem. Cum his frequenter verſabatur, eorum ſermonibus diui-

nisque colloquijs oblectabatur, ac quamuis in singulis admirabatur virtutes, earum tamen plerasque ipse dudum iam habebat, nonnullas, omninò paribus in se exprimebat lineamentis. Sæpè, idque præcipuè hyemis tempore, ac frigoribus intensissimis vrgentibus, nudis pedibus in templum veniebat, in oratione si quando, noctè maximè profunda somno corripiebatur & premebatur, se in terram abijciebat, eique superuenienti, non fatigata, sed penè enecta membra inuitus relinquebat. Quàm ille vilia & abiecta, ac prorsus tum ætate, tum gradu parum digna obibat ministeria? Magnam profectò in his animo capiebat voluptatem. Quotiescunque S. Stanislai Episcopi & Martyris gloriosissimi visitabat sepulchrum, quoties S. Salomeæ Reginæ Haliciensis, aliorumque sanctorum Cineres & sanctissimas Reliquias inuisebat, semper ad Xenodochia domosque diuersorum pauperum descendebat, vbi mæstis consolationem, infirmis omne obsequium, summa animi alacritate & diligentia præstabat. Otio superuacaneo locum nunquam dedit, vtpote qui tot tantisque Discipulis, Sacræ inquam Theologiæ auditoribus stipatus, alijs responsa dando, cum alijs sapientissimè differendo, maxima dignum commendatione tractabat transigebatque negotium. Quicquid autem vnquam superauerat temporis, hoc totum commentationi scri-

ptioniq́ue aſsiduæ concedebat. Teſtes ſunt, quos ſuper libros Magiſtri Sententiarum edidit Commentarij omni genere eruditionis pleniſsimi, in quibus dum & incredibile acumen ingenij, & zelum illius ardentiſsimum ſalutis proximi videmus, ſummum Philoſophum & Theologum, præſtantiſſimum Eccleſiaſticum Oratorem, perfectum diuinumq́ue Religioſum iure agnoſcimus. Hic ergò talis tantuſq́ue vir, omninò vitæ præſentis, non certè laborum, qui illi in ſancta Religione ſemper dulces fuerunt, grauiter pertæſus, ad æternam gloriam, patriam inquam ſuam, ardentiùs cœpit anhelare. Quæ deſideria, vbi magis magiſq́ue creſcerent, atq́ue hominem DEI præter ſolitum affligerent, in morbum incidit, quem incredibili ſubleuabat, tolerabatq́ue patientia. Contigit ſanè, & dat veneranda, locuples teſtimonium antiquitas, vt ea detentus infirmitate, cùm iam quodammodo grauiùs premeretur, hoſpites cæleſtes ad ſe venientes videret. Etenim SS. DEI Genitrix magno Angelorum comitata choro, puerulum in ſinu geſtans ad illum venit, vbi etiam S. Staniſlaus Epiſcopus & Martyr Cracouien. S. Hiacynthus, Caſimirus Princeps, Heduigis, Salomæa, Kunegundis Reginæ Poloniæ, nonnulliq́ue alij ſancti interfuerunt. Regina cæli vbi primùm ingreſſa eſt, ita illum alloquuta traditur, Eſaia, inuito te ad

conui-

conuiuium Filij mei. Quibus ille verbis mirificè recreatus, poſtquam ſancta & admirabilis viſio diſceſsit, & præſentiæ ſuæ certiſsimum teſtimonium, odorem inquam ſuauiſsimum & planè incredibilem reliquit, tum de tranſitu ſuo diligentiùs cogitare, tum ſolita tanti ac tam periculoſi itineris præſidia meditari cæpít. Ob eam igitur rem fratribus omnibus ad ſe vocatis, eis inprimis certam corporis ſui reſolutionem imminere dixit, ad charitatem deinde mutuam ſeruandam, cæterarumque virtutum diligens ſtudium ardenter illos eſt cohortatus. Dici nequaquam poteſt, quàm hæc illius verba omnes perculerint. Videbant enim in viro rariſsimarum virtutum magnam admirandamque congeriem, videbant Ordinis totius decus & ornamentum ſingulare, ad ſummam, perfectionis Religioſæ lucidiſsimum ſpeculum intuebantur, quo nomine fieri nequaquam potuit, quin acerbiſsimo ex diſceſſu eius affligerentur dolore. Et quoniam illum Dominus in odorem ſuauitatis dilexerat, nolebat diutiùs ſanctam animam corpore detineri. Moritur ergò vel potiùs ad vitam proficiſcitur à morte An. Do. 1471. quo ſancta Religio ſuper ſepulchrum lapidem grandem, cum eiuſdem inciſa imagine, talique inſcriptione poſuit.

A. D. M. CCCCLXXI. Menſ. II. obijt Venerabilis Pater Iſaias Sacræ Theologiæ Profeſſor. In manu ſententiam tenet:

Tempus breue, iudiciumque difficile.

Anno verò Domini 1604. A. R. P. Iacobus Moyski, eiuſdem Ordinis noſtri in Regno Poloniæ Prouincialis, cuius zelum pro domo Domini, parietes ipſi teſtantur, vir profectò Religioſæ diſciplinæ ſeruantiſsimus, auguſtiori forma erexit, atque tabulam marmoream cum capite ipſius, & tali Epitaphio in pariete proximo adiunxit:

Lechiadum claro prognatus ſanguine Doctor
Eſaias, iſto ſarcophago tegitur.
Ne lector mirere, manet ſors omnibus vna:
Doctos, indoctos, falx metit, vrna capit.
Hoc opus & labor, Elijſijs vt ſiſtere campis
Detur, & ad ſummos ſcandere cęlicolas.
Viuis ibi ſemper lętus Pater optime, viuis
Eſaia, noſtrę Religionis honor.
Viue memor noſtri, vitę diſcrimina multa
Inter, ad ęternos, duc Pater alme lares.

.A. V.

Erat profectò illius vitæ præclariſsimè & ſanctiſsimè actæ, miraculorumque ab illo patratorum liber per illos Patres, qui cum eo vixerunt diligenter ſcriptus, ſed ſuperiori tempore, quo Cœnobium ipſum & templum conflagrauit, vnà cum Bib-

liotheca nobilissima, rebusque alijs preciosissimis perijt. Venio ergò ad ea miracula, quæ siue Chronica diuersa, siue tempora nostra suppeditant. Primum illud esto:

Cùm adhuc esset in viuis, ac quodam tempore ante imaginem B. MARIAE Virginis, quam ipse in sacello S. Dorotheæ depingi curauerat, diligenter oraret, funus ducebatur Stanislai cuiusdam ciuis Casimirien. defuncti. Proinde & parentes, & consanguinei, & vicini mortui deposito in choro cadauere, cæptisque de more Officijs Diuinis, certatim ad illum cucurrerunt, atque vt opem suis ad DEVM precibus ferret, illum viuum restitueret, obnixissimè contenderunt. Motus ille tantis hominum lacrymis, ad feretrum vnà cum illis processit, atque inclamatione ad MATREM MISERICORDIAE:

Monstra te esse MATREM facta, illius manum accepit, subleuauit, parentibus, consanguineisque viuum reddidit.

De altero mortuo per eundem suscitato, ex vita B. Stanislai Casimiritani Ordinis S. Augustini Canonicorũ Regularium constat. Vir quidam non postremæ eruditionis, grauioribus afflictus difficultatibus, ad illius patrocinium confugit, vbi voto facto, & reportato, Carmen elegans scripsit, quo vitam, & nonnulla eius gesta pulchrè sanè

complexus est, atque deinde in Tabula ad sepulchrum affixit. Illud quidem ita se habet.

Magna cano ter magne Deus, Rex maxime Regum,
Digna tuis proprio carmine cęlicolis.
Adsis ô Numen, placido mea marmore duce
Carbasa, nunc Boreas, nunc Zephyri faueant,
Qui imperio tenuit claros toto orbe Polonos:
Magnus & ille quidem Rex Casimirus erat.
Quando VIXISTI, *quando tua maxima fulsit*
Virtus Sauromatis, ô Pater Esaia.
Quando SCRIPSISTI *laudata Volumina doctis,*
Plena Deo, rebus plenaq; sydereis.
Quando DIXISTI *populo de more frequenti,*
Quid Pater altitonans aut vetet, aut iubeat.
Quando FECISTI *mortali peruia nunquam*
Dextra, ac obstupuit Patria chara tua.
Tu cęci sanasti oculos, vt lumina cęli
Optatis vicibus cerneret auricoma.
Tu mancoque manus, claudoque pedem inde petenti
Firmasti, vt posthac ingrederetur ouans.
Strinxerat in quendam ciuem, Casimiria tota
Est testis, gladium perfidia Parca suum.
Flebant vicini, coniunx charissima flebat:
Flebant cognati, sat dolor altus erat.
At cùm iam tumulo misero, solitoque recondi
Debuit, vt terram terra suam caperet:

Concur-

Concurrunt omnes ad te, nullo ordine certo:
Quem ante aram inueniunt, flentq; rogantq; simul:
Vir sancte ESAIA, nunc, nunc memor esto tuorum:
Da vitam in corpus, restituas animam.
Res miranda, Deum quando in tua vota vocabas,
Surrexit, viuus sarcophago ille suo.
Occupat inde timor vario discrimine cunctos:
It clamor cęlo, quisque Deum celebrat.
Contigit (est certum) vt Veneris charissima proles
Fęminei sexus flecteret in tumulo hoc:
Utraq; deiecta est mulier, virtute superna,
Quid tibi cum CASTO fętida luxuria?
O quàm sępè tuum tumulum circumdedit ingens
Lux, multò Phębi lampade splendidior!
Sunt qui viderunt, viuunt, testantur vbiuis:
Miramur qui non vidimus vsque satis.
Cętera quid memorem, clamant quoque Dęmones ipsi:
Et Magnum toties ingeminando, vocant.
Te Magnum cuncti norunt, sanctumq; fatentur:
Dum tua facta vident, dum tua scripta legunt.
Ipse ego, qui scribo hęc, ardenti pectore dico:
Dicamq; & scribam tempore perpetuò:
ESAIÆ QVICVNQVE VELIS COGNOSCERE FATA:
QVAMQVE DEO CHARVS, CÆLICOLISQVE SVIS:
AD TVMVLVM IPSIVS CVRVATO POPLITE SVPPLEX
PROCIDE, NEC DVBITES EXPERIERIS OPEM.
Expertus scribo, tabulam hanc appendo futuris
In testem verum (credite) temporibus.

Appendo ex VOTO, *Pater optime ſuſcipe vultu*
Propitio queſo, poſtea plura canam.
Et quem ſeruaſti toties, totiesq́ beaſti:
Hunc ſemper foueat cura paterna tua.

Ver: Ora pro nobis B. P. Eſaia:
Reſ: Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

OREMVS.

DEus, qui B. Eſaiam Confeſſorem tuum de mundo, carne, & Diabolo gloriosè triumphantem, ad æterna gaudia fæliciter tranſtuliſti, eum que ſtola immortalitatis indutum, ac gloria & honore coronatum, ante thronum Maieſtatis tuæ ſemper tibi adſtare iuſsiſti, da quæſumus, vt omnes, qui eius pia apud te interceſsione imploramus auxilium, benignum præſtò ſentiamus patrociniū, quatenus amore tuo ſuccenſi, pietate feruentes, opere efficaces, omnibus periculis ſublatis, áëreis que poteſtatibus debellatis, perpetuò poſt hanc vitam Angelorum, Sanctorumq́ue tuorum aggregari mereamur conſortio. Per Dominum noſtrum, &c. Amen.

Anno Domini 1479. Patres eiuſdem Cœnobij ſæpenumerò tumulum eius luce magna diuinitùs circumfuſum viderunt, quanquam etiam poſteriori ętate nonnullis (quorum aliqui viuunt adhuc) eadem fælicitas contigit. Solent id crebris illi teſtari ſermonibus.

Anno

Anno Domini 1569. April: 10. aliquot mulieres inhonestæ, vtpotè illecebris mundi huius deditæ, in tumulo eius temerè satis constiterunt. Neque diu certè ibidem hæserunt. Nam subitò vi quadam ita pulsæ abiectæque sunt, vt nulla alia præterquam diuina omninò id factum, præsentes omnes admirarentur & conclamarent. Transeundo ad Rupellam S. Stanislai Episcopi & Martyris Cracouień. Illustriss: & Reuerendiss: D. D. Bernardus Episcopus Cracouiensis, itemque Illustriss: D. D. Georgius Mniszek, Palatinus Sendomirień: &c. cùm fortè ad orandum propiùs accessissent, factum animaduerterunt, quare etiam, cùm vita huius Beati prima editione scriberetur imprimereturque, dictus Illustriss: D. Cardinalis libenter vidit, suaque authoritate comprobauit.

Anno Domini 1603. die 10. Febr: Spectabilis vir, & parentela satis clarus, Ioachimus Fox, ciuis Casimirień: grauissimo periculosissimoq. prostratus morbo, ad B. Esaiæ tumulum votum fecit, gratiam recepit, tabulam cum hoc testimonio appendit:

Relligionis honor, decus immortale tuorum:
Aurelij magni gloria magna Domus.
Accipe quos potui Charitum decerpere flores:
Parua solent magnis sæpe placere viris.

Ille ego ſum, nuper qui (te miſerante) fatiſcens,
Proſilui morbi de grauiore malo.
Tu mea phlegręo rodentem pectora dente
Fregiſti Parcam, tu Pater eximie.
Hîc ego ſupplicibus palmis te in vota vocaui:
Hinc etiam vitę maxima dona tuli.
Hîc tibi ſemper agam grates, ſemperque litabo:
Eſaia noſtri tu memor eſto precor.

Adoleſcens quidam, Petrus Snacki Caſimirieñ: infirmitate planè moleſtiſsima præuentus & oppreſſus: fecit votum, ſe vbi conualuiſſet, ad B. huius viri ſepulchrum ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſolenni ritu cantari curaturum, cæreumque grandem poſiturum. Abſque mora igitur conualuit, votum reddidit, tabulam in teſtimonium gratiæ acceptæ appendit.

Anno Domini 1606. die 10. Febr: Matrona honeſtiſsima Anna Niedzielanká Caſimirieñ: graui morbo correpta, imò iam iam morti vicina, ſe cum vna Miſſa votiua, & cæreo grandi, ad B. ſepulchrum ſubitò ac vires qualeſcunque recuperaſſet, ituram promiſit. Neque irritum hoc eius votum fuit. Nam ſtatim cœpit meliùs habere, & ſequenti die votum reddidit, tabulamque appendit.

Anno Domini 1607. die 30. Ianu: Nobilis Chriſtophorus Pravvinski, Sereniſ: Sigiſmundi III. Regis Poloniæ Tympaniſta, diuturno pedum

dolore ita in lecto detinebatur, vt nullis medicamentis, nullis consilijs iuuari, vix loco se mouere posset. At vbi votum cum munusculo cæreo, votiuaque Missa ad B. sepulchrum fecit, statim conualuit, votum reddidit, tabulam appendit.

Anno Dñi 1607. die 4. Febr: Nobilis Stanislaus Lazarzovvski Epilepsia periculosissimè infestabatur. Pater ergò illius, cùm prostratum filium aspiceret, ad sepulchrum B. Esaiæ illum se cum cæreo præsentaturum vouit, & mox ita sanitatem impetrauit, votum reddidit, tabulam appendit.

Anno Dñi 1607. die 8. Mart. Simon ciuis Clepardień: videns coniugem suam charissimam Heduigem adeò formidabili morbo circumuentam, vt pluribus diebus abstineret à cibo, ad preces S. viri huius confugit, petens, vt suis intercessionibus daret opem. Vouit inter cætera eam cum solenni Missa tumulum sacrum visitaturam, vnde illa sine mora cœpit meliùs habere, ac postera die votum reddidit, & tabulam appendit.

Anno Dñi 1607. die 1. April: Honesta Dña Catherina de Casimiria, magnopere à Dęmonio vexabatur & affligebatur, vtpotè longo temporis interuallo energumena. Hîc ad sepulchrũ viri B. intercessione eiusdem omninò curata & liberata est.

Anno Domini 1607. die 2. April: Adalbertus Sutor Casimirień: & alijs quidem morbis, sed

potissi-

potiſsimùm febri acuta diu ſatis grauiſsimè torquebatur. Fecit ergo votum, ſe cum vna Miſſa & cæreo ſepulchrum viſitaturum, vnde citò conualuit, votum reddidit, tabulam appendit.

Anno Domini 1607. die 5. Mart: Honeſta matrona Anna Spercina, ciuis Caſimirień: adeò periculoſo laborabat morbo, vt nulla Medicorum conſilia, nulla auxilia illi procederent. Quare parentes ipſius ad diuinam confugerunt opem, eamq́ue ſe tumulo B. Eſaiæ præſentaturos vouerunt, quare etiam citiùs omnium opinione ſanam & incolumem receperunt, votum ſoluerunt, tabulam in teſtimonium poſteris temporibus acceptæ gratiæ & miſericordiæ parieti affixerunt.

Anno Domini 1607. die 9. April: Anna Czapikovvska Caſimirień: puerum habebat Albertum phtiſi, pectorisq́ue graui & diuturna infirmitate afflictum. Non diſsimili igitur facta oblatione votiuę Miſſę in honorem SS. Dei Genitricis apud tumulum B. Eſaiæ, citò ſanum recepit, votum reddidit, tabulam appendit.

Anno Domini 1607. die 2. Aug: Quidam Auguſtinus Stokloska ciuis Caſimirień: lepra valdè deformatus, & à multo tempore capitis dolore grauatus, votum fecit, ſe, cum munuſculo ad dictum ſepulchrum venturum, vnde mox ſanitate priſtina recuperata, & votū ſoluit, & tabulā appendit.

Anno

Anno Domini 1607. die 8. Maij, Samuel Ferlorn Aurifaber & ciuis Cracouień: ex platea Arcensi, magna, imò adeò periculosa decumbebat infirmitate, vt à Medicis Doctoribus, post expositam grandem pecuniam desperaretur & relinqueretur. Quocirca vbi humana præsidia non proficiebant, ad Diuina toto sese conuertit animo, nempè cum vno solenni sanctoque Sacrificio vouit se dictum sepulchrum visitaturum, vnde multis admirantibus sanitatem recepit, votum soluit, & tabulam appendit.

Anno Domini 1608. die 10. Iun: Stanislaus Sulkovvicz, famulus A.R.P. Iacobi Moyski, Ordinis nostri Eremit: S. Augustini in Regno Poloniæ Prouincialis, cùm ex Lituania Cracouiam proficisceretur, ob nimium planè solis æstum in grauem febrim incidit, adeò, vt de vita ipsius dubium esset apud omnes. Facto igitur voto visitandi dictum sepulchrum, ad pristinam redijt sanitatem, votumque reddidit.

Anno Domini 1607. die 14. Maij, Stanislaus Golębiovvski ciuis Casimirień, per septem hebdomadas infirmum filium Stanislaum habebat, in qua ægritudine ille cibum nullum capiebat, exiguo tantummodo refocillabatur potu. Iamque non parum temporis processerat, quo neque somno, neq; vllo quopiam consilio subleuabatur, imò

prę nimio capitis dolore, in acutiſsima febre viſum amiſerat, ad vltimumq́. vitæ agonem ſiue certamen venerat, cùm interim miſer pater flexis genibus votum fecit, nimirum, ſi priſtinæ incolumitati reſtitueretur, ſe cum illo monumentum B. Eſaiæ viſitaturũ, Sacrum ſolenne cantari curaturum, cæreum grandem poſiturum. Res mira, ſtatim cœpit meliùs habere, atque vnà cum patre votum reddidit, & tabula appenſa intercesſione B. viri ſe conualuiſſe teſtatus eſt.

Anno Domini 1608. die 29. Iul: Anna Milovvska teſtis eſt, ancillam ſuam, poſt votum factum viſitandi hoc ſepulchrum, à graui infirmitate liberatam eſſe.

Anno Domini 1608. vlti: Decemb: Regina Ioannis Zalencki coniunx diu multumq́ue in partu periclitata, tandem mortuum puerũ peperit. Vterq́. igitur, maritus nimirum & vxor luctu & lamentis ſe ſe affligentes, Diuinam miſericordiã implorabant, ne ſibi imputaretur hoc peccatum. Poſtea ad patrociniũ & opem B. Eſaię cõfugerunt, ſuppliciter petentes, quatenus ſua ad Deum intercesſione puerũ illis viuum redderet, vouentes ſe illũ ad ſepulchrũ cũ vna ſancta & ſolenni oblatione, cęreoq́. maiori, ad menſurã eiuſdẽ, pręſentaturos. Subitò ergò puer reuixit, oſcitare & plangere cœpit, qui ferè tres horas à partu mortuus iacebat. Quare illi vnà cum vi-

cinis lęti, beneficijque accepti grati, puerum inprimis baptizari, nomen Esaiæ illi imponi iusserunt, votum deinde soluerunt, tabulam appenderunt.

Anno Domini 1608. die 17. April: Laurentius Leopolień: adeò graui diuturnoque capitis dolore affligebatur, vt post tot tantaque Medicorum consilia auxiliaque inaniter tentata, ad opem denique B. Esaiæ confugeret. Neque frustra. Nam cùm primùm votum fecit, à desperato morbo liberatus ereptusque est.

Anno Dñi 1609. die 12. Mart: Spectabilis vir Ioannes Haler, ciuis & Consul Ilcusień: diuersis quidem temporibus, nō mediocriter tamen dentiū dolore premebatur. Cùm autem magis ac magis morbus increscerct, coram me votum fecit, se post recuperatam valetudinem cum argentea tabula, & vna Missa votiua sepulchrum B. Esaię visitaturum. Itaq. ope cælesti subleuatus, alacrem se in reddendo voto pręstitit, visitauit, tabulamq. dictā acceptę misericordiæ futuris temporibus testem appendit.

Anno Domini 1609. die 3. Augu: hora 19. Albertus puer annorum quatuor, filius Iosephi Tyranski Architecti & ciuis Casimirień: ad ripam Vistulæ, qui tunc vehementer inundauerat, cum alijs sui similibus, vt illa vult ætas, ludebat. Verùm petulantiùs cursitando, in fluuium incidit, à quo etiam subitò absorptus est, ita, vt ampliùs non appare-

ret. Animaduerterunt casum hunc infelicem Sanctimoniales Ordinis Pœnitentium S. Francisci ex Monasterio ad S. Agnetem, interitumque adeò luctuosum pueruli miseratæ, genibus flexis nomen sanctum Iesus inclamabant, Beatique patris Esaiæ patrocinium implorabant. Res admiratione dignissima contigit. Nam puer in medio rapidissimi Vistulæ emersit, sicque in dorso plùs quàm per triginta passus sub pontē natauit, ad ripam appulsus denique exanimis à circumstantibus acceptus est. Tum verò mater mœstissima, ad sepulchrum B. huius viri eum detulit, suppliciter vitam petijt, & impetrauit. Nam mortuus ibidem reuixit, adhucque viuit, testimonium veritati dat tabula appensa, & homines qui tunc præsentes interfuerunt, omniaque tam in fluuio, quàm apud sepulchrum gesta viderunt.

Anno Domini 1609. die 17. Septemb. Catharina, Ioannis Zlahanka dicti ciuis & Sartoris Casimiriensis vxor, filiolam vnius anni grauiter infirmam habebat: ita, vt iam animam ageret. Proinde facto voto, ad Ecclesiam se, vt sacrosancto Missæ Sacrificio interesset, contulit, domum deinde reuersa filiolam sanam reperit, subitò tabulam iuxta sepulchrum appendi curauit, votumque soluit.

Anno Domini 1609. die 10. Iun: quidam ciuis Cracouień: filiam suam Heduigem agonizan-

tem videns, fecit votum, quòd, si pristinam recuperasset valetudinem, cum vna Missa B. Patris visitaret sepulchrum. Conualuit igitur illa absque mora, votum reddidit, & tabulam appendit.

Anno Domini 1609. Anna filiola Dorotheæ Zakrzevvska, iam ferè animam agebat, verùm facto voto ad B. huius sepulchrum, ita citò & integrè conualuit, vt postridie extra lectum esset. Magni viri inprimis eruditique tunc interfuerunt, & vehementer admirati sunt, illa votum soluit.

Anno Domini 1610. in Vigilia Ascensionis Domini, Soror S. Francisci Ordinis Pœnitentium ad S. Agnetem Stradomiæ, nomine Damiana Rogozinska, filia Illu: & Mag: Domini Vicecapitanei moderni Cracouieñ: morbo subitaneo correpta, febrèque continua acutissima laborans, cùm per nouem dies morbus ingrauesceret, & omnibus præsentibus, etiam Medicis ipsis, spem vitæ ipsius naturali via conseruandæ, sanitatisque pristinæ recuperandæ eriperet, atque iam vltimum spiritum emissura putabatur, in visione per somnium, virgo quædam apud easdem Moniales S. Agnetis Probationis tempus peragens, quæ iam modò Religionis Habitum suscepit, nomine Mariana, (nunc autem Religionis nouo nomine Domitilla) Stadnicka de Zmigrod, intellexit à quodam Religioso in veste nigra, superpilicio desuper induto sibi ap-

parente, ipsam virginem infirmam Damianam, pro cuius etiam salute, hæc altera ante somnium anxia precabatur, non morituram pro tunc, sed breui sanitati pristinæ restituendam, dummodo pro eadem votum fiat, & adimpleatur, vt scilicet visitentur nomine ipsius duo sepulchra sanctorum Dei, nimirum, B. Esaiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini apud S. Catharinam Casimiriæ, B. Ioannis Cantij ad S. Annam Cracouiæ, & B. Boromæi altare Niepolomicijs, ibidemque Missæ pro infirma præfata absoluantur. Postera igitur die Præfecta Monasterij vnà cum R. P. Confessario Marianã seriò examinauit, anné aliquando de his memoratis sanctis quidpiam audiuisset, volens hac ratione cognoscere somnij originem, videlicet ab imaginatione aut à Deo esset: Verùm Mariana respondit, se quidem de duobus dictis scire nonnihil, at de B. Ioanne Cantio penitùs nihil vnquam audiuisse, & vbi sit etiam sepultus ignorare. Votum ergò factum est, & solutum, Damiana conualuit.

HYMNVS DE B. ESAIA.

Iste Confessor Domini Beatus:
Cuius augustum celebramus ortum:
Hac die celsas meruit Polorum
Scandere turres.

Qui

Qui Deum cæli pietate vera:
Qui pios mores hominum colendo:
Cæli se vitam docuit sequutum:
Angelicamque.
Semper hic castus fuit, & pudicus:
Sobrius semper fuit, & modestus:
Semper æternum memorabat idem
Tempus & horam.
Illius sacrum tumulum frequentat
Cæcus, & claudus, malesanus omnis:
Mortuus fertur, referuntque læti
Vota petentes.
Vnde nunc omnes pariter canendo
Vota fundamus, pariter rogando:
O PATER, *mæstis miseratus adsis*
Esaïa.
Sit salus illi, decus, atque virtus:
Qui supra cæli residens cacumen:
Machinam mundi moderatur ampli:
Trinus & vnus. Amen.

ANTIPHONA.

Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege Testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam eius, & vsque in seculum non delebitur. *Eccles: 39.*

Ver: Ora pro nobis Beate Esaia:
Res: Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

DEus, qui Ecclesiam tuam, sanctitate & virtutibus B. Esaiæ fœcundasti, concede propitius, vt eius pia intercessione, cunctorum remissionem accipiamus peccatorum: Qui viuis & regnas, &c.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.



